


101

130





1619,1
107
Quod felix & faustum sit.

SACROSANCTISSIMA TRINITATE

ASPIRANTE.

Disputationem Inauguralem

DE

EMPTIONIS VENDI-
TIONIS UTILISSIMA ET IN
FORO FREQUENTISSIMA
materiâ

*Decreto & Iussu Magnifici Iurisconsul-
torum Ordinis in Inclytâ Basileen-
sium Academiâ,*

Pro summo in utroque Iure gradu Do-
ctoris obtinendo

*Publicè ventilandam propono defenden-
dam suscipio*

FRIDERICUS CURÆUS
Glogoviensis Silesius.

Ad diem 7 Septembris,

ANNO M DC. XIX

horis locoq; solitis.

~~~~~

B A S I L E Æ,

Typis JOHAN. JACOBI GENATHI,  
Acad. Typographi.



FAMILIENS VERZEICHNIS  
VON  
HERRN  
VON

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





## THESIS I.

**E**MPTIO-VENDITIO quæ à permutatione originem sum-  
psit ab ἐμδορ, quod est meum facio: & vendo quasi venum do, li-  
teris u. & m. abjectis denominatur.

### I I.

Eit autem Contractus nominatus, Jurisgentium, bonæ fidei, solo  
consensu initus, de re emtori tradendâ & pretio certo, venditori in pe-  
cuniâ numeratâ dando.

### I I I.

Hujus duæ sunt species. Alia fit in scriptis, alia solâ voluntate, sinè  
scriptura perficitur. Illa celebrari dicitur cum in eâ ab initio expressè de  
scripturâ conficiendâ cavetur: quâ nondum absolutâ non valet, nec prius  
perfecta censetur quàm instrumento legitimè confecto & omnibus suis  
numeris absoluto. Quod factum intelligitur, si à tabellario sive notario  
in mundum redactum & subscriptum, partibus assentientibus recitetur.  
*l. 17. C. de fid. Instr.*

### I V.

Hæc, sive sine scriptis Emtio venditio celebratur, cum inter se partes  
specialiter nullius scripturæ mentione facta contrahunt; perfecta autem  
& absoluta dicitur simulatque de pretio convenit & res certa est, quamvis  
pretium nondum numeratum, ac nec arrha quidem data fuerit.

### V.

In contrahendâ autē emtione considerantur personæ contrahentes  
& modus contrahendæ. Contractus hujus communionem regulariter ha-  
bent omnes, quibus non est aut Naturâ, aut Lege prohibitum.

### V I.

Naturali contrahendi facultate destituuntur Furiosus *l. 2. C. de contr.  
emt.* De quo quæritur an emtio dilucidis intervallis contracta, per inter-  
venientem furorem irritetur? quod negamus modò sanâ mente inceperit  
& consummaverit *arg. l. 9. C. qui test. facere poss. l. 2. d. 1. Infans §. 9. Inst. de utili-  
bus stipul.*

### V I I.

Lege hunc contractum celebrare prohibentur quidam in totum:  
quidam cum certis tantùm personis aut de certis rebus. In totum emere &  
vendere nequeunt, vel ob conditionem Servi: vel ob ætatem Impuberes  
& Minores absque tutorum vel curatorum consensu & judicis decreto:  
vel ob malos mores Prodigii *l. 40. de R. J.*

### I I X.

Cum certis personis hunc contractum inire vetantur. Alii propter  
personam ejus, cum quo contrahere volunt, quæ talis ut nulla inter hos de  
Jure Civili possit nasci actio ut Dominus cum servo, Pater cum filio *l. 2. h. t.*  
exceptis reb. castrensibus & quasi castr: item bonis peculii adventitii quo-  
rum usumfructum pater non habet: Frater cum fratre *l. 38. de condi. in deb.*  
in ejusdem patris potestate sc: constituti, Tutor cum pupillo qui tamen  
bonâ fide pupilli sui bona emere potest *l. 5. C. de contr. emt.* quando pretium  
est justum & contractus pupillo necessarius.

I X.

Alii propter suspicionē iniquæ extorsionis quæ in hæc personas cadit, ut pendente lite advocatus cū cliente: Medicus cū egerto morbi tēpore: Incarcerās cum carcere mancipato: Magistratus tēperarius cum subdito:

X.

Ob similem aliquam suspicionem res certas comparare nequeunt Præsides provinciarum quibus interdictum est res mobiles alias emere quàm quæ ad victum & vestitum pertinent. *l. 6. §. 3. in f. de off. procons. immobiles verò omnes præterquam prædia paterna, si à fisco distrahantur, l. 62. de contr. emt. l. un. C. de contr. et. jud.* Item Palatini Principis, emere prohibentur vestes vel aurum vel argentum vel mancipia, *l. f. C. de resc. vend.* Si à privatis, id est, comitibus privatarū rerum principis, ut largitionum, & rariū & cæterarum rerum, quæ Principis propriæ vendantur.

X I.

Modus contrahendæ spectatur potissimum in duobus, causis & adjunctis, Causa, Efficiens Emtionis & Venditionis Remota est Jus gentium, Propinqua contrahentium consensus.

X I I.

Consensus autem debet esse, I. perspicuus: unde contra eum in nostro contractu ambiguae locutionis facienda interpretatio, in cuius potestate est legem apertius dicere.

X I I I.

II. Directus in rem eandem: ita ut si in ipso rei corpore vel ejus substantiâ sive materiâ errent aut dissentiant cōtrahentes Emtio. Venditio nulla sit. Nō æquè si in nomine vel qualitate aut circa accessiones à contrahentibus erratum: & in eundem contractum Emtionis & Venditionis quia contrahentes si inter se dissentiāt in specie cōtractus, nihil peragitur; ideoq; necessarium est ut certum contractum ab initio eligant nominatum, quem celebrare velint.

X I V.

III. Consensus debet esse liber *l. 5. C. de O. & A.* Nemo enim invitus aut coactus emere debet, *l. 11. C. de contrah. emt. l. 16. C. de jur. delib.* nec etiam cogi rem suam alteri petenti vendere, nisi in certis casibus in Jure propositis: nimirum jure humanitatis Dominus propter nimiam sevitiā servum: favore libertatis, dominus servi communis partem suam socio manumittenti vendere tenetur: religionis intuitu vicinus compellitur vicino iter ad sepulchrum concedere: publicæ utilitatis causâ: favore ultimæ voluntatis, *l. 66. de leg. 1.* ratione communionis: *l. 13. §. 17. de A. E.* ratione necessitatis, *l. 2. C. de Patr. qui fil. distr.* Et non nisi justo pretio oblato.

X V.

IV. Verus non simulatus quia nuda & imaginaria veditio pro non facta est, *l. 55. h. t. hinc venditio donatoinis causâ facta nulla est, l. 55. l. 5. §. 2. pro socio.*

X V I.

V. Mutuus non in alterius contrahentium voluntatem collatus.

X V I I.

VI. In negotium præsens conceptus, non in futurum, alioqui vel pactum erit vel alius contractus.

X I I X.

Causa materialis ipsum pretium & merx quæ venditur. Omnium autem rerum quas quis habere vel possidere vel persequi potest venditio recte

rectè fit. Dubitatio occurrit an venditio rei alienæ valeat? Aff. per l. 28. h. 8.  
quia sufficit venditorem evictionis nomine obligari.

X I X.

Valet itaque venditio sive sint res corporales mobiles, & immo-  
biles sive incorporales ut servitutes, l. 47. h. t. sed an Ususfructus? Aff. si  
vendatur jus utendi fruendi, id est, commoditas percipiendi fructus. l. 8. §.  
fin. de peric. & comm. rei vend. l. 13. C. de Usufructu. l. 12. §. 2. l. 38. ff. de Usufr. Hære-  
ditas, l. 7. & i. 2. de hered. vel act. vend. extans non futura. Actiones lite non-  
dum contestatâ: Nomina sed ne in potentio rem transferantur.

X X.

Sive res venditoris sint propriæ, sive alienæ, sive existentes, sive fu-  
turæ, si modo legitimè fore sperantur ut fructus & partus. Nullis fructi-  
bus natis, aut partu non edito, emtio nulla est, arg. l. 8. d. per. & com. Non  
idem statuendum cum q. alea emitur quod fit quando captus piscium aut  
jactus missilium emitur quia enim ibi spei est emtio & pura, ideo etsi nihil  
inciderit, tamen emtio valet.

X X I.

Q. An emtio reddituum annuorum valeat? Aff. modò justam pen-  
sionem non excedant, arg. l. 16. C. de usur. h. e. ne in imperio ultra quinq; in  
singula centena annuatim recipiantur.

X X I I.

Quas verò Natura, vel Jus gentium vel mores Civitatis commercio  
exuerunt, earum nulla venditio est. l. 34. §. 1. h. t.

X X I I I.

Natura exemptus commercio: Liber homo, l. 6. pr. l. 34. §. 2. l. 70. de  
contr. emt. & res quæ non sunt nec fore sperantur: ut servus mortuus, domus  
deusta.

X X I V.

Gentium jure eximuntur commercio Res divini juris, id est, Sacræ,  
Religiôsæ, Sanctæ, Item res publicæ omnium.

X X V.

Jure civili commercio exemptæ: Res publicæ, Universitatis. Hæ si  
usui publico destinatæ in perpetuum, à privatis vendi nequeunt.

X X V I.

Sed etsi res in commerciū cadant, tamen nonnunquã earū impeditur  
venditio. Et sunt quædam, quæ licet in dominio privatorum justis tamen  
de causis vel omnino alienari prohibentur vel tantū intercertas personas.

X X V I I.

Omninò alienari non possunt: Res pupilli vel Adolescentis, Fun-  
dus dotalis, Res immobiles donatæ propter nuptias, litigiôsæ, furtivæ vel  
vi possessæ, feudales, emphiteuticæ, subjectæ restitutioni, tigna ædib. jun-  
cta, venena mala, servus qui in fuga est Enochi Cupressi ex luco daphnen-  
si, vel Perseæ arbores per Ægyptum: nisi utilitas vel necessitas aliud exigat.

X X I I X.

Res quarum emtio venditio tantum certis personis interdicta vel  
ab omnibus vendi nequeunt, ut Sal, purpura, sericum, vel omnibus vendi  
non possunt ut res propria emtoris.

X X I X.

Ad causam materiale pertinet & pretium quod à parte Emtoris in-  
tervenit & debet I. esse certum. Q. An valeat venditio si fiat eo precio  
quod in arca habeo? Aff. per text. expr. mol. 7. §. 1. h. t.

[:] 3

X X X.

II. Debet in pecuniâ numeratâ cōsistere. Non minus elegantes quam utiles hoc loco à Dd. cumulantur quæstiones. I. An venditio sit si ex unâ parte res, ex alterâ res & pretium simul detur? D. II. Num emtio uno numero celebrata subsistat? A. III. De eo etiâ est disceptatio An emtio venditio sit si quâritate certâ pro re emtâ taxatâ cōvenerit ut pro illâ quâritate res alia vel frumentū detur vel vēditoris nomine emtor quid faciat. Aff.

X X X I.

III. Pecunia non sit reprobâ nam si vitium pecuniæ deprehenditur vel in materia vel in pondere vel in forma contractus potius innominatus quam emtio venditio celebratur.

X X X I I.

Forma est ipsa, de merce à venditore tradendâ & pretio in pecuniâ numeratâ ab emtore dando, facta conventio

X X X I I I.

Contrahitur emtio venditio tam inter præsentés quàm absentes per nuncium vel per epistolam, purè vel sub conditione, aut in diem, in scriptis vel sine scriptis.

X X X I V.

Celebratur etiâ hic contractus cum arrhâ & absq; arrhâ. Et dantur arrhæ vel in argumentum emtionis vel in partem pretii *l. 35. l. 2. C. quin. liceat ab emt. disced.* Q. Num quis à contractu perfecto resilire possit si vel arrhas datas amittere vel acceptas cum altero tanto restituere velit? N.

X X X V.

Finis est necessariorum rerum inter homines communicatio: Merces quidem in ementem: pecuniæ verò in vendentem: perpetuâ enim pecuniæ æstimatione difficultatibus permuationum subvenitur.

X X X V I.

Adjuncta hujus contractus sunt Pacta, quæ huic contractui adponi solent: & sunt vel Adjicientia, quale est illud ut emtor præstet usuras pretii ex tempore contractus *l. 5. C. de pact. inter emt. & vend.* item de Evictione, quàm lex emtionis naturæ tribuit constitui potest pactū, ut satisfactio illius nomine præstetur, cum aliâs nuda promissio sufficiat *l. 37. l. 56. ff. de Eviction.*

X X X V I I.

Vel detrahentia, quando in contrahendo aliquid excipitur quod ex naturâ contractus erat præstandum, cujusmodi pactum est, ne evictionis nomine cautio duplæ præstetur *l. 11. de Act. Emt.*

X X X I I X.

Frequentissima autem & hujus contractus propria sunt hæc III. Addictio in diem cum videlicet res eâ lege penes emtorem collocatur nisi intra certum diem de quo convenit, alius meliorem conditionem attulerit.

X X X I X.

II. L. Commissoria veluti: cum inter emtorem & venditorem convenit, ut nisi ad diem certum pretium solvatur res sit inempta. Hoc Emt. Vend. proprium & prohibitum in pignorib. *l. fin. de pact. pign.*

X L.

Pactum de retrovendendo quo res ea lege venditur ut quocunq; vel certo & præscripto tempore pretio oblato res revendatur. Et transit hoc pactum etiâ in heredes, & extraneo cedi potest, eiq; nequidem triginta annis præscribi verius est.

XLI. Ef-



X L I.

Effectus est mutua obligatio, ita ut alter contrahentium altero invito à contractu perfecto recedere non possit, sed ad mutuas præstationes teneatur: quæ aliæ sunt venditoris aliæ emtoris: Illarum nomine prodita est actio Empti: harum Venditi.

X L I I.

Præstationes Venditoris versantur vel in re vel extra rem: In re sunt IV. I. ut Rei venditæ vacuum possessionem tradat

X L I I I.

Hinc illa ancipitis juris quæstio promanat: Utrū rei venditæ quam venditor urget, venditorq; tradere potest necessaria sit traditio, An verò venditor præstādo interesse liberetur? Comprobator Dd. opinio est non liberari, sed præcisè ad rei traditionem teneri.

X L I V.

Quid si res perierit, vel deterior? *Hac de re in D. & C. de peric. & comm. summa hæc est: Præstet venditor ante traditionem, l. 14. §. 1. de peric. diligentiam exactam, ut tantum casus fortuitus excusetur, l. 2. §. 1. l. 3. l. 11. de peric. l. 36. l. pen. pr. A. Em. Quare si quid casu contigerit periculum est emtoris, sin culpā venditoris. l. 35. §. 4. h. t. l. 31. l. 36. de A. E. d. l. 11. de peric. Unde & fructuum futurorum venditor tenetur si egit ni nascerentur, l. 8. h. t.*

X L V.

II. Ita tradat: ut habere eam liceat, ne evincatur, l. in vendendo 66. h. l. 8. de evict. l. 11. §. 2. & 8. de act. emt. quod si fiat de evictione venditor tenetur. Ut evicta intelligatur requiritur, 1. Ut res auferatur emtori spe omni habendæ abscissa, l. 35. l. 57. de Evict. l. 3. C. d. t. 2. Ut iudicio sit ablata. 3. Ut petitoris iure. Non culpā emtoris, quæ triplex. Si non laudaverit auctorem: si absente eo ipse iudicio non adsit, si exceptione aliquā ex facto suo remotus. Nec injuriā iudicis.

X L V I.

Re hoc modo evictā Emptori adversus venditorem est actio empti, & siquidem stipulatio interposita certi conditio. quæ cessat vel emtoris culpā, si sciens emit alienam, vel quia actum ne evictio præstetur.

X L V I I.

III. Ut tradat rem incorruptam & ab oneribus liberam. Quæ duplicia. Alia usum rei impediunt, Morbi & Vitia de quibus cautum Edictio edicto, ubi triplex actio adversus eum qui, sive scienter sive ignorāter, rem morbosam aut vitiosam ignoranti vendidit, competet 1. Redhibitoria. 2. Quanto minoris. 3. Quanto emtoris inter est rem talem non fuisse.

X L I I X.

Alia jus imminuunt: ut servitutes & tributa seu pensationes. Quas si deberi ignoravit venditor & nihil de iis cautū non tenetur, l. 1. §. 1. l. quæro. 39. l. 41. de act. emt. & in primis per l. 21. §. 1. d. t. Quod si scivit & celavit tenetur ex emto, non ad redhibendū sed quāto minoris emtoris, si onus novisset.

X L I X.

IV. Ut præstet quicquid de re dixit sciens vel ignorans, sive quantitatem id respiciat, sive qualitatem. Unde triplex actio ex emto, ad redhibendum, vel quanto minoris. Quædam dicta tamen excipiuntur 1. si quid generaliter de re dixit commendandī causā. 2. Si in specie quidem sed vel apertè falsum ut servum speciosum domum probe exstructam, l. 43. pr. & 1. ubi ratio quia ipse emtor se deceptis oculis non usus. 3. Si id quod specia-

Specialiter dixit: aliunde suppleatur. Id accidit si ignorans fundum 90. jugerum dixit habere 100. si postea 10 alluvione accreverunt, L. 13. §. 14. de act. emt. Item si duobus venditis in uno plus esse dixit quam erat, in altero minus, quod enim in hoc plus est cōpensatur cum eo quod in illo deficit.

L.

Præstationes Venditoris Extra rem sunt: Aut incommodis rei venditæ. Quæ ut & periculum contractu inito sunt emtoris ac vel ex re provenire potuerunt, ut alluvio, fætura, fructus: vel extrinsecus occasione rei accedunt. Sive res; ut per servum venditum quæ sita: mercedes ex operis aut vectum, pensiones ex locatione: sive actiones quæ vel ex locatione rei præstandæ vel ex alienâ injuriâ ob damnum in re datum: Aut in stipulationibus & cautionibus quæ tres sunt. 1. Rem habere licere Actio in id quod interest cautum fuisse. 2. Repromissio duplæ scil. quantitatis vel æstimationis. 3. Rem sanam esse non morbosam, vitiosam ex qua venditor incipit teneri ad id quod interest sine quâ tantum redhibet & quanto minoris teneretur.

L I.

Et hæ præstationes Venditoris: Nunc de præstationibus Emtoris quæ sunt I. ut nummos venditoris faciat, licet non æquè ad rei dominium transferendum obstrictus venditor

L I I.

II. Ut usuras pretij post diem traditionis aut moræ præstet. Elegans hic suboritur quæstio: Num emtor sit compellendus pretij usuras solvere. quando ex re venditâ nullos percepit fructus? A.

L I I I.

III. Ut Res per occasionem emptionis perceptæ, cum ad emtorem jure emtionis non pertineant, restituantur. Ut pecul. servi venditi fructus ante venditionem percepti.

L I V.

IV. Ut sumptus in rem bonâ fide id est necessarios ac utiles, quos constat emtorem velle impendi, post contractam venditionem, ante traditionem, factos restituat.

L V.

Notandum Ultramq; actionem Emti & venditi non solum dari ad petendum id quod naturaliter inest judicij potestati: sed etiam quod contrahentium pactio in continenti adjecta venditioni accessit.

L V I.

Hæc sunt quæ contrahendam emtionem constituunt: nunc paucis quæ contrahendam impediunt: & quæ contractam rescindunt.

L V I I.

Contractui huic ad versantur Error, emtioni enim quæ consensu constat nihil tam contrarium esse dicitur quam error, Vis, Metus, Dolus.

L I I X.

Contractam rescindunt Mutuus dissensus & læsio ultra dimidium Quæritur I. An hujus legis remediū in Emtore locū quoque obtineat? Aff.

L I X.

II. Quæritur. An per contrahentes huic beneficio renunciari possit? Aff. excepto rustico minore, muliere qui hunc contractū celebraturi sunt, prius de beneficio hujus legis, quod ignorare præsumuntur certiorandi.

L X.

III. Q. An in venditione decreto judicis facta lex nostra?  
2. locum habeat? N.

S O L I D E O G L O R I A.

Basel, Diss., Ab 16/30

(+ 261 2333)

V. 17





10<sup>2</sup>

1619, 11

*Quod felix & faustum sit.*

SACROSANCTISSIMA TRINITATE

ASPIRANTE.

*Disputationem Inauguralem*

DE

EMTIONIS VENDI-  
TIONIS UTILISSIMA ET IN  
FORO FREQUENTISSIMA  
materiâ

*Decreto & Iussu Magnifici Iurisconsul-  
torum Ordinis in Inclytâ Basileen-  
sium Academiâ,*

Pro summo in utroque Iure gradu Do-  
ctoris obtinendo

*Publicè ventilandam propono defenden-  
dam suscipio*

FRIDERICUS CURÆUS  
Glogoviensis Silesius.

*Ad diem 17 Septembris,*

ANNO M DC. XIX

*horis locoque solitis.*

~~~~~

B A S I L E Æ,

Typis JOHAN. JACOBI GENATHI,
Acad. Typographi.

130

